LAVREVM APOLLINIS VELLVS DECERPENDVM STVDIOSIS LABORIBVS ASSIDVIS DISPVTATIONIBVS DISCRIMINE BACCALAVREO

QVOD

IN LIMINE STADII DOCTORATVS VELVT ALTER IASON AVREVM VERIS MACHAONVM ACADEMIÆ DOCVMENTIS INSTRVCTVS.

In Monſpelienſi Medicorum Lycæo Proſequitur.

ANDRÆAS DESCHAMPS Monſpelienſis ex Studioſis Conſiliarius electus.

MONTISPESSVLANI,
Apud DANIELEM PECH, Regis, Illuſtriſſimi Epiſcopi Monſpelienſis, & Vrbis Typographum.

M. DC. LXXXI.

ILLVSTRISSIMIS

ALMÆ FACVLTATIS MONSPELIENSIS;

ARCHYATRIS

CANCELLARIO AMPLISSIMO

DECANO ET PROFESSORIBVS REVERENDIS

AGGREGATQ DOCTORI MERITISSIMO

VIRIS ERVDITISSIMIS

CELEBERRIMIS CONSVLTISSIMIS

MÆCENATIBVS PER QVAM VENERANDIS

PATRONIS ET PRÆCEPTORIBUS SUIS

ÆTERNVM COLENDIS.

In perpetuum obſervantiæ Studium &
& debitæ gratitudinis argumentum.

VOTUM POSVIT,

Cliens addictiſsimus ANDRÆAS DESCHAMPS Monſpelienſis Studioſorum Conſiliarius.

ILLVSTRISSIMIS

ALMÆ FACULTATIS MONSPELIENSIS,

ARCHYATRIS

CANCELLARIO AMPLISSIMO

DECANO ET PROFESSORIBUS REVERENDIS

AGREGATO DOCTORI MERITISSIMO

VIRIS ERUDITISSIMIS

Celeberrimis CONSULTISSIMIS

MEDICINÆ PER QUAM VENERANDIS

PATRONIS ET PRÆCEPTORIBUS SUIS

ÆTERNUM COLENDIS,

In perpetuum observantiæ Studium & debitæ gratitudinis argumentum,

VOTUM POSUIT.

Cliens addictissimus ANDREAS DESCHAMPS Monspeliensis Alumnus & Confiliarius.

QVÆSTIO MEDICA PHISYOLOGICA.

PRO

PRIMA APOLLINARI LAVREA CONSEQVENDA

PROPOSITA

AB ILLVSTRISSIMO VIRO

D. D. HIERONYMO TENQVE,

REGIS CONSILIARIO MEDICO

NEC NON

IN ALMA MONSPELIENSIVM MEDICORVM ACADEMIA, REGIO PROFESSORE DIGNISSIMO.

Sub hac verborum ſerie.

An Procreatio à ſimili.

FLVXIBILIS individuorum vita, ut vindex foret ab interitu, generatione indigebat, quâ natura jacturam abundè reparat, dum vivens in multiplici ſobole reviviſcit. ideo hoc unum primò ipſa intendit; licet enim neceſſitas nutritionis unumquodque ad ſui ſtudium cogat, prius tamen gigni

debuit. Neque est hoc opere aliud perfectius, quo enim jure cæteris non præemineat quod esse primum tribuit, quod individua perennat, quod species bonum omni alio universalius fulcit, quod ineffabile in divinis generationis attributum æmulatur, quod demum aliqua viventia tantum occupat, ut huic soli nata videantur, quod in quibusdam plantis, quibus solius fæturæ cura est.

Captum superat rerum multitudo secundum speciem & numerum, quæ tam pauci constat naturæ, quia ipsi proprius fundus est fœcunditas, ludus & deliciæ generatio, qua aliis solius existentiæ, aliis etiam vitæ beneficium largitur. triplex viventium genus totam vitæ rerum latitudinem complet quia triplex fingitur anima vitæ principium: cum verò vita sit motus in corpore organico ab intrinseco & secundum naturam elicitus, excluditur quidquid infra vegetantium gradum humilioris elementorum mixtorumque familiæ luxuriem ambit; quod detrahit vitæ honores plerisque ipsorum, quibus vivere competit non minus quam plantis, quæ etsi orbæ animæ, vitæ tamen expertes non sunt. Neque omnium una semper est ortus ratio, aliàs enim spontè, aliàs in proprio utero ex profuso à simili semine nascuntur; ex animalibus, quædam ovipara sunt, quædam vivipara, in quibusdam mirabilis elucet duplicis sexus distinctio, in nonnullis utriusque confusio in uno semine, quasi hermaphrodita sit, tum masculi tum fœminæ ideam occultat: omnibus commune est ab ovo nasci, non enim animalia solum ovipara, sed & plantarum semina, quod vetus est Empedoclis dogma, ova censenda sunt.

II.

SOLERS & acuta in operibus suis natura cautè providit ne sensibus nostris pateat ingenium, quo in fingendis viventium primordiis seriò ludit ipsi soli lucet, quæ nos fu-

git, in exili compendio contracta subtilitas; non enim pro-creatio solum dici debet cum partes omnes à vi plastica delineantur & conformantur, hæc enim sensibus explicat priùs jacta in semine corpusculi rudimenta. in plantis semen ovum est; inest in eo 1. velut in cicatrice non sola viventis carina, sed & cum minimo trunco gemma & insignis radicis conus, succus quoque in appensis foliis, trachæis, utriculis in futurum alimentum: nec desunt uterus & secundinæ quibus planta partium suarum compage tota tandiu servatur, donec discreta membrulorum figmenta, externo humore subingresso turgente nutrita atque crescentia se in debita figura mole, & elegantiâ sensibus nostris exhibeat.

1. Malpigius anat. plant. c. de fecũd.

In oviparis latent prima stamina 2. nobilioris quippè vitæ officiis destinata subtilioribus constant particulis, quarum compages liquore crassioris molis imbuta atque soluta, effluxis ab incubante spirituum radiis indiget, quibus secreta membrula circumfuso humido in pabulum cedente magis fiunt explicita. Non est sensibus neganda fides, in ovo fœcundo nondum incubato apparet cicatricula, in cujus centro circulus candidus est, & in hoc colliquamentum, in quo pulli carina cum vesiculis & reliquis inchoamentis, quæ calor incubans omni momento explicat, & intra paucos diès absolvit. 3.

2. Harvæus l. de gen. exer. 14.

3. Malpighius tabul. i. fig. 1. de ovo.

Si confidimus sensibus in ovis viviparorum, carina & totius compages compendio præexistit. Habent enim in ovariis quæ testes sunt ova in quibus cicatrix colliquamenti portione ambitur, quæ in uterum aliquando delapsa, ibique seminis masculi concursu per confluxum similium partium ad similes, ut notat Hippocrates in novum excrescunt ovum, in quo fætus sensim sese explicat, qui nutritij succi accessu adauctus fit tandem conspicuus.

l. de nat. puer.

Tritum est omne vivens nasci à semine quia nutritionis,

incrementi, & procreationis necessitas variis indiget organis, quæ nullũ præter semẽ corpus in se continet. Quod licet ad id solum ordinetur ut individuum progignat, impressos tamen defert characteres, quibus peculiarem speciem exhibet, nisi aberret in monstrum, id quod agit opus. Fit ex principiis à Deo ab initio ex atomis tali modo & serie compactis, ut ex vario complexu & prædominio mobilis cuiusdam substantiæ determinato calore exurgat semen specificum vegetantibus & animalibus, quod Aristoteles ex terra humido & spiritibus vult compingi, & in plantis chymia, nusquam ad prima principia resoluens, ex spiritu, aqua insipida, oleo, & terra distillatione probat. Gal. vero ex paucâ terrâ, multo aere, & plurimo spiritu igneo in humano præsertim semine. Calor in spiritu, hic in humido oleoso & aqueo tantum caloris exhibet quantum motus permittit humidum illud quo implicatur. Ipsi officina sunt testes, aut quid vices ipsorum gerens; in quibus, quæ in sperma humanum aptæ sunt moleculæ separantur ex sanguine cum spiritibus, in fermentorum massam uniuntur, ordinantur, in quâ quæ vis fætus rudimenta occultet, & tandem explicet, stuporis magis quam examinis res est.

3. de gen. act. c. ult.

1. aph. 14.

III.

LICET ubique vigeat naturæ fæcunditas præsertim mari, quod est multiparum, non tamen ubique loci fit generatio quælibet: matrix est mineralium minera, stylus inest pro utero seminibus plantarum, oviparis pellicula cum testâ, viviparis uterus extra quem non gigitur animal, nisi parem viribus substituat lasciviens natura in sponte nascentibus, aut ludens dum Bombylis in Necydalum, Chrysalis in papilionem fit Matamorphosis. Ex masculo & fœmina prodeuntem materiam ex qua fætus gignitur probat quæ tradux est utrique non dissimilis effigies. Vis prolifica

3. Malpigh. tabul. 32.

ſtupendum formationis opus orditur, abſoluit per ſpecies, quas rerum ſeminibus impreſſit omnium protoplaſtes. quæ deſunt, ut in debitam molem creſcat, abunde providet: plantulæ quidem ſeminali affunditur per ſua acetabula, & cotyledones, è terrâ humidum ſalibus imbutum, ſolvitque ſuccum in foliorum meatulis concretum, eos laxat, actiſq; fermentatione in motum particulis provocat incrementum, fitque vegetatio. nec deficit ad reſpirandum materia, aqua nempe ab aëre deliquefcente nitro impregnata ſuſcepta per utriculos, ſpirales fiſtulas, trachæas analoga reſpirationis organa, 2. ut ſit continua in ipſis ſuccorum fermentatio, fluiditas, circulatio. In oviparis incluſum pullus in ovo reperit alimentum: nutritur primum albumine, quo abſumpto vitellus ſufficit, ut probat in utrumque diffuſa umbilicalium propago, 3. reſpirat non aerem ſub obtuſâ teſtæ parte reconditum, ut Fabricius putat, ſed quod Mayou, 4. particulas nitroſas cum aere ab incubantis fotu trajectas, & cum colliquato albumine ab umbilicali vaſculo ſenſim tranſſumptas, à quibus ſanguinis continua ſervatur mobilitas.

2. Malpig. tab. 7.

3. Harv. l. de gen. aal. c. 60.

4. Tract. 3. de reſp. pulli in ovo.

In viviparis quid ſimile ſed evidentiùs natura molitur. Duplex ipſis diſpari viâ ſuppetit alimentum: alterum liquor eſt in glandulis amnij ſecretus, quem ore ſenſim abſorbet fætus, ut placet Hippocrat. 5. probatque gratus ipſius ſapor, conſiſtentia lacti aquoſo ſimilis, liquor repertus in faucibus & ventriculo non diſpar, excrementum quoque in inteſtinis quaſi idem cum lacte veſcitur teſte Harvæo, 6. alterum ſanguis eſt per arterias uteri in placentam & media umbilicali vena in fætum derivans, à quo quidem ipſum ali, & reſpirare, docet Hippocrates, 7. quod validè evincit catulus ille acephalos editus probè tamen nutritus teſte Graaf. 8. non reſpirat quidem propriè ſed tranſpirat; defectum ſupplet liquor fermento aereo imbutus, qui cum ſanguine à

5. l. de carn.

6. l. de gen. aal. exper. 58.

7. de nat. puer.

8. l. de mul. org. c. 151.

matre in fætum redundat, à quo licet pauco quantulus ille motus sanguinis intestinus, & pigræ, quæ naturæ ipsius sufficit, circulationis per angulosos flexus conservatur, ut doctè innuit Pechlinus, 9. adeo præcipuum vitæ animalium momentum latet in aeris cum sanguine commercio, quo nec illa carent, quæ simulatâ morte totâ hyeme torpent, & quo si careant, paucis momentis ea durare probat antlia Boyliana, ipse quoque fætus, qui ab uteri claustris effusus ubi semel auram hausit, si ipsius orbus fiat, protinùs extinguitur.

9. c. 8. l. de vita sub aquis.

IV.

NON in omni vivente principium vitæ est anima, licet ea sit id, quo uivunt, quæ sentiunt & intelligunt: eximia compages quæ in vegetantibus & animalibus ex mirabili tot partium contextu, solâ eâque inscrutabili geometriæ ratione stat, & in tot membra vitalibus & naturalibus officiis adornatur, solo mæchanicæ legis impulsu vivit. Fæcunda naturæ vis in viventium ordinibus regendis eadem ferè arte procedit. Structuram perfectorum animalium alit & auget aggestis, prioribus, pristina manente forma, novis particulis, quas vitali compulsu cordis & arteriarum sanguis circulans, porulis apponit. In vegetantibus succus nutritius, qui astmosphæræ pressura per radices ingreditur, è fistulis in folia penetrat, in quorum utriculis præexistenti humido immixtus, ulteriùs fermentatione digestus, ambientis calore humido aperiente meatulos & intestinum motum juvante, quocumque se insinuat. Vltra hæc naturalis æconomiæ confinia erigunt se bruta etiam minima, quæ machinulæ non sunt aut automata vivo quodam artificio constructa, ab occursantibus foris particulis mobilia, quod Carthesius, 1. sed animat non flammula quod Vvillisius quia cognitionis incapax, sed substantia sui generis, 2. sic producta à Deo de-

1. parte 1. phil. n. 64.

pendens à materia, ut simul cum bruto pereat, quia ipsam desinit conservare. Dignius de homine sentit Carthesius; est, inquit, in eo anima quia cogitat, existentem se intelligit dum dubitat an sit, inextensam quia spiritualem; spiritum, non quia corpus non est, sed quia sine ipso potest operari: incorruptibilem demùm se concipit, tum quia indivisibilis, tum quia summum est, in quod innato pondere fertur, immortalitatis desiderium. 2. Fernel. 1. de abd. rer. caus. 6. 9. 10. 3. 1. part. princ. n.

V.

QVANDIV vivit homo, labitur ea, ad quam suspirat æternitas, hanc quærit in multiplici prole, in quam dum se propagat, posteris sui idolum delineat; tantùm amat natura similitudinem, quam si non obtineat portentum est. Species, sexus, forma, tria sunt quæ exprimere intendit, ut generans reddat in genito. Habet semen ex proprio sibi principiorum contextu, quod sit peculiaris speciei simulachrum; ideò communis est species individuis, quia fiunt ex simili semine, & similis est internus opifex partium typosi incumbens, quarum ideam retinet etiam in cineribus, ut probat mirabilis ex ipsis plantarum resurrectio, quam vidit Quercetanus, 1. cujus experiendi modum docet Tachenius, 2. & eam refert in acidum & alkali. Suum quoque habet quodlibet semen sui sexus sigillum: gignitur mas ob masculeum, fæmina, cujus procreatio intentum est non error naturæ, ob fæmineum: causa est alterutrius victoria in copia & energia presertim in fingendis genitalibus, alterum semper alteri prævalet, insolens est exquisita virium æqualitas ob quam redditur utriusque sexus specimen. 1. l. contra anony. c. 10. 2. c. 10. Hypp. Chym.

Vlterius se natura explicat & quam adumbrat intus parẽtum effigiem exactè ductis extrinsecis lineamentis absoluit; ita vt totus parens transeat in prolem, nec modo crasis & proportio membrorum, sed etiam color, & hinc enas-

cens in virtutes & vitia propensio. Habet semen etiam in minimis partibus relativam in objectum potentiam, centrali fermentorum & spirituum efficaciâ omnia pro partium & figurarum patientiâ disponit vis plastes terminis materiæ ipsius implicita: solidorum formas ab aliorum mixtura secernit, indurat, extendit, excavat; & prout viget ipsius virtus, materia verò patiendo sese accommodat, determinatas pro originis suæ modulo & figura partes modificat, ut nō tantū ab Æthiope habitus corporis crassus, vultus characteres, simus nasus, repanda labra, nigredo sed & ab Europæo nævi & maculæ in fætum defluant; quorum seminia manent incorrupta, licet successiva generantium alteratione impedita & aliquatenùs mutata, iisdem enim opportuno mixtionis, & secretionis casu redeuntibus, sepultæ retro parentum figuræ reviviscunt.

Immobilem hanc similitudinis legem servat natura etiam in portentoso concubitu, unde mistum genus, proles biformis. Quin etiam sic principia componit, ut in ignobili speciē nobilioris exprimat, testis est homo ille Marinus, 3. aliud que multiplex animal præferens in vultu figuram humanæ similem, qualē in quibusdam piscibus notat Rondeletius, 4. ipsa quoque vis plastica degener, in facie, in qua totus homo, bruti imaginem sæpe depingit; unde Aristoteles, 5. deduxit analoga morum principia, cujus vestigia sequens Porta 6. ipsorum similitudinē ritè expressit iconibus. Sic natura genere dissimilia jungit per media quæ utrimque participant, plantanimal solo sensu vel etiam totius effigie plantam brutumque secum devehit. Mirum quod hominis externam vultus imaginem in ovo effingat, quod picta effigie Licetus 7. repræsentat, & nuper vidit Avenio: ut descendit ex propria indole & formâ semen humanum, sic belluinum se exaltat ut humana inchoet rudimenta, causa est fermento-

3. Journal des Sçavans du 11. Avril 1672.
4. l. de piscib.
5. l. Physiogn.
6. l. de Hum. Physiog.
7. de mō: stris pag. 238.

rum & ſpirituum ſeminis conditio ob varias alimenti & ex hoc ſanguinis energias. Sæpè etiã phantaſia ideis ſuis prævalens & turbans ordinatos ſpirituum motus. Notum hactenus quam valida machina ſeminis partes tumultuet, fæturæ organa immutet, membra multiplicet, mutilet, colorem tingat, rei viſæ vel optatæ imaginem imprimat, & provocet naturam in horrendum animalis ſpectrum, inſontem quidem, ſemper enim prurit in ſimile non impedita.

Ergo Procreatio à ſimili.